Acad. Oxf. Univ. Oxf. K

ΠΡΟΤΕΛΕΙΑ
ANGLO-BATAVA

Pari

Pluſquàm Virgineo,

GVILIELMO *Arauſii,*

&

MARIÆ *Britanniarum,*

ACADEMIA

OXONIENSI

Procurante.

OXONIÆ,

Excudebat LEONARDUS LICHFIELD,

An. Dom. MDCXLI.

AD
ILLVSTRISSIMVM SPONSVM
GVILIELMVM
ARAUSIONENSEM.

NOn canimus vulgò: neq; enim de plebe Poetæ:
Sed modò non minimũ eſt, velle tacere, ſcelus.
Maxima Natarum CAROLI quùm Regia Virgo
Nubit, ut in dotem ſymbola quiſq; ſua
Conferat è populo, Legum veneranda Vetuſtas
Sancit, & *auxilij* nomen habere jubet.
Dent alii nummos; at Nos, plebs indiga rerum,
Ingenii cenſus, officioſa, damus.

Nondum ejuratas, ingloria nomina, Muſas
Vel ſteriles Cathedræ, dum licet, uſq; colunt.
Et fungi Vates, & necdum conſcia Phœbi
Turba, Tuas geſtit laurea ſerta fores
Induere: & crebris ſingultibus interrupta
Cogimus in numeros gaudia laſſa ſenes.
Tu nec difficili percurras omnia vultu,
Sed qualem tanti *Conjugis* eſſe decet.
Sic dubiam Regni pacem, Noſtriq; ſalutem
Firmabit Batavi conſcia *Virgo* thori:
Ignavoſq; metus, & doctæ nubila frontis
Diſcutient radio candidiore faces.

CHRISTOPHORUS POTTER

Acad. Procancellarius,

Coll. Regin. Præpoſ.

ESt aliquid naſci majorum ſtemmate Regum,
Et forma dotis conſcia eſt aliquid ſuæ.
Hinc maturatæ certatim nubile tedæ
Tempus; datumque non ſibi, ſed patriæ.
Sic libaminibus variant Sponſalia binis;
Hymenæus ipſe quando fœcialis eſt.

IACOBUS HERBERT *Comitis Pembroch. filius natu tertius è Col. Ieſ.*

ILlibatus Hymen, ſed impeditæ
Certus Virginitatis excubator;
Tedæ non ſine Luce, ſed Calore,
Impubem meritò vocant Camœnam.
Non falſa hîc mola, maſculúmq; thus eſt;
Voti hîc aurula ventilans modeſti.

IOHANNES HERBERT *Comitis Pemb. filius natû quartus. è Col. Ieſ.*

IUnge Deóſque, Deáſque, ſacrâ Dea Pronuba ceſto,
Æmuláque huc Sponſæ Gratia Quarta Veni:
Huc age blanda Cythera! (& eris mihi ſæpe vocanda)
Rurſus Te Marti (nec Rea) necte Tuo:
Huc plenas Violis pharetras Gens mollis Amorum!
Haud patitur tenerum ſpicula dura latus:
O flammæ innocuæ! O nondum violabile pectus!
Quàm poterat Nuptam ſic Genuiſſe Pater?

IOHANNES MORDAUNT *Comitis Petrib. filius ex Æde Chr.*

GAudent Novo Cœleſtia Lumine:
Ridet Terra Novis veſtibus: Omnium
Vultus Novum Mundum Loquuntur
Tempora, Fata, Dies Novoſque.
FLOREM Britannum victor Arauſicus
Carpit, Quo ſuperat pignore cæteras
Gentes, Quibus Frigus Timoris
Invidiamq; creat. Futura
Sunt ſalva: Curet Nulla pericula
Qui tantâ fruitur Virgine, vellere
Tanto potitur: Tam Perennis
Lætitiam peragit Trophæi.
Nexus Iugales Fœdera maxima
Sint Curæ ſuperis: Hæc uti Corpore,
Et Mente ſic vincat Maritas
Prole Domus tumeat frequenti:
Figat Cupido cuſpide pectora
Æternâ: Coëant Corda coagulo
Sacro: querelis & malignis
Divide (nulla Dies) Amores.

TH. STYLE *Baronettus Coll. Mert.*

ANglorum ſydus, Cœli Iuſtiſſima Cura,
Publica Pax Rerum (cujus famulatur Amori
Naſſaviæ ſpes Magna Domus, Telluſque Batava
Libertate Potens, & ſævis Legibus Hoſtis)
Iunge ſacrum nullo ſolvendum tempore Fœdus:
In Te cognoſcat virtus peregrina Britannos
Mores, Sceptra, Fidem, Longævi ſanguinis Ortus:

Non

Non metuas Faciem Rerum, Discrimina Mundi:
Bella Tibi parent, inseruit classibus Æquor:
Nec peccare potest post tantos Livor Honores.
Experiatur Amor vires: Innoxia vitæ
Stamina procedant vobis: Nec desit in Ævum
Anglo-Nassavii Proles rectura Batavos.

CAROLUS SHIRLEY *Baronettus*,
Coll. Merton.

NOn te, pulchra Venus, non te, Lucina, precamur:
Iam nupta est, vestræ nil tamen artis opus.
Virgineis præsit thalamis intacta Diana;
Dum profert tædas non nisi castus Amor.
Nondum passa virum est, sed jam peperisse videmus:
Esse parens gentis non nisi Virgo potest.

HENRICUS SEDLEIUS *Baronett.*
è Coll. S. Io. Bapt.

QVæ dedit Auriacus doti exæquanda MARIÆ,
Quæ sponsalia digna Maritus?
Auriacæ Gentis monumentum, libera Belgis
Colla fremens agnoscit Iberus.
Auriaci auspicijs Phæbo sub utroq; potentes
Hinc Batavos atq; hinc videt Indus.
Interea Auriaco tutæ sub Principe Musæ,
Tutæ Artes, Ecclesia tuta.
Littora littoribus, (quantum hoc?) vicina Britannis,
Et socia ad discrimina classis.

Formam

Formam adde, ingenium, ſpirantem in pectore Martem,
In linguâ Suadæ adde medullam.
Nec Sponſæ optari poterat Vir dignior vllus,
Sponſa Viro neq; dignior vlla.

ROB. PINCK, *Cuſtos Col. Novi.*

QVas mare diviſit terras, conjunxerat olim
Relligio, propiùs nupera vincla ligant.
Sint huic, ſint illi fœlicia vincula genti,
Quæ non litis amans lingua, manúſve ſecet.
Bina ſacer nodus ſociavit corpora; mentes
Cunctorum æterno fœdere jungat amor.

R. NEWLIN, *Præſ. C.C.C.*

MDCXLI.

Chronogramma.

FaVſto ConIVgIo, ReX bonVs, Magna
BrItannIa, PropInqVI gaVDent.

FAuſto conjugio Britanne gaude,
Concordant Niveæ, Roſæq; Rubræ;
Iungis Regna *Iacobe* Magne, docte,
Germanum Generum faciſq; noſtrum.
Belgam CAROLE Magne, Iuſte, Prudens,
Noſtrum fœdere Tu facis potentem.
Forte eſt Imperium Leone trino,
Factum fortius eſt Leone Scoto;
Et nunc fortius eſt Leone Belgâ.
Fauſto conjugio Britanne gaude.

T. CLAYTON, *Col. Pemb. Mag. Med. Prof. Reg.*

ECLOGA.

HÆc nemora, has ſalicum peragrabam devius um-
Paſtor ego in ſylvis, Lydæ dilectus, Iolas: (bras
(Tu virgo mihi cauſſa viæ, te ſæpe colenti
Mens abit, & teneros perdo malè ſedulus agnos.)
Dum vagor huc illuc, atque omnia lumine luſtro,
Ecce procul gracili labentem flumine rivum
Conſpexi, & ſummo porrectum in margine Thyrſim.
(Thyrſis erat triſtis ſemper puer:) Ille recurvum
Suſtinet in ripâ, & vultu ſuperincubat undis;
Tum bibit, & penſat lacrymarum fœnore Nympham;
Et tandem crebris ſingultibus interruptos
Ore movet queſtus; admurmurat vnda querenti.
Pan deus Arcadiæ, (nam Te paſtoribvs æquum
Perſonat omnis ager) ſiquid tua Mænala curas,
Reſpice oves, dixit, nec vis inimica magiſtros
Deterat, aut noſtro proturbet rure moloſſos.
Hactenus, & flevit; lacrymas hæc verba ſequuntur.
Quid facimus miſeri, ſi quas Tibi ponimus aras
Evertat furioſa manus, ſi nulla manebunt
Vellera paſtores, nec Te compacta cicutis
Fiſtula, nec veteri celebrant penetralia pompâ?
Tum verò infelix poſitis dedit oſcula cannis,
Et rurſum; Salve æternum mea fiſtula, dixit,
Æternùmque vale.
Neſcio quid voluit dicturus plura, ſed illum
Excipit incautum, & flenti ſuperadvenit Ægon;
Ille quidem majora crepat, potuitque videri

Contempſiſſe ſolum, & numeris veſtigia ducens
Saltantes vicit ſatyros, Dryadúmque choreas.
Tum ſic affatur: Cur tu, puer improbe, ſolus
Deficis, & vano jugulâſti hæc gaudia luctu?
Poſce citus calamos; neſcis, temerarie, neſcis
Quid timeas, ideoque times; jam nubila ponit
Iupiter, & vultum meliori luce ſerenat,
Ne diffide (nefas) monſtrantibus omina Divis.
Protinus intumuit dicto, nec ſe amplius Ægon
Ipſe capit, viridiſque ſedens in gramine clivi
Hoc benè compoſitâ modulatur arundine carmen.
Pangite paſtores nova carmina, reddite ſylvæ:
Ecce ſuos juvenis peragit jam Daphnis amores,
Nerine Galatea ſuos; innectite ſerta,
Spargite humum, Nymphæ, folijs, & rore marino.
Pangite Paſtores nova carmina, reddite ſylvæ.
Daphnis habet pecudes, &, dum ſua reſpicit arva,
Præſidium eſt alijs; duplici ſic jure triumphat
Armipotens, nec ſi magnum Fortuna dediſſet,
Ipſe tamen virtute ſuâ facit altera regna.
Pangite paſtores nova carmina, reddite ſylvæ.
Ille quidem dare ſigna gregi, teliſque nocentes
Expugnare lupos, & ovilia cingere vallo
Novit, & intextis defendere cratibus agnos.
Pangite paſtores nova carmina, reddite ſylvæ.
Igneus Eois quâ ſe pater exerit arvis,
Quâ videt emerito pereuntes æquore currus,
Te colit omnis ager, properatq; animoſa juventus
Nôſſe tuas artes, ingens ubi Sequana ripas
Alluit, & lætâ Tameſis dilabitur undâ,

Quaque

Quaque Caledoniæ ſpargunt ſua frigora brumæ.
Pangite paſtores nova carmina, reddite ſylvæ.
Moſa per Angliacum dum ſubterlabitur æquor,
Præluſit Domino, docuitque hæc fœdera gentes,
Rhenumq; & Rhodanum ſimul in ſua fœdera tra-
Tandem Lęta feret populis Connubia Majus, (xit.
Cùm dabitur nullo fractas Symplegadas ictu
Cernere, nec proprio diviſos Orbe Britannos.
Pangite paſtores nova carmina, reddite ſylvæ.
Nec Tu Sponſe, Nuces, nec Tu, Sponſa, abjice pupas;
Nondum adolevit amor, quanquam virtutibus annos
Viciſtis; creſcent anni, creſcetis amores.
Pangite paſtores nova carmina, reddite ſylvæ.
Te, Dea, cùm Arcadiam, patrioſque reliqueris agros
Leandro rapienda tuo, Te ſydera juſtis
Flatibus, & poſitis venerentur cærula nimbis;
Fronte micet pelagus, qualem geris Ipſa, ſerenâ:
Sic jubet ipſe pater, nutu qui temperat æquor
Nereus, & domito ponit ſua jura profundo.
Emergat vitreis ſpumoſæ Doridos antris
Cymodoce, raptaſque imo de gurgite gemmas
Offerat, & viridem vocet ad ſua gaudia Doto:
Prodeat & Phorci vectum delphinibus agmen,
Atque hilaret tua tranſtra choris, tum pronuba puppis
Cæperit invito Dominam dimittere ponto.
Sic tandem Auriferas claſſes, Indoſque Batavus
Negliget, & preſſam meliori pondere puppim
Iurabit, quàm Semideos quæ vexerat Argo,
Velleraque eripuit Pagaſæâ Colcha carinâ.
Hæc cecinit paſtor; madidos tergebat ocellos

Thyrſis, & excutiens ſordentem puluere veſtem
Mox abit, & ſimili meditatur carmen avenâ.

RADOLPHUS BATHURST. *in Art. Incept. Coll. Trin. Soc.*

FAma refert noſtris Terras hæſiſſe Batâvas,
Atque unum quondam gentibus eſſe ſolum;
Oceanumque, duas qui nunc interluit Oras,
Fluctibus haud ſemper diſſecuiſſe ſuis.
Migrat in hiſtoriam, fuerat quæ fabula; Tædis
Iunguntur, Princeps, litora, Magne, tuis.
Oceanuſque tuo jam tandem pulſus amore eſt;
Et cedunt flammis pontus, & unda, tuis;
Dùm populus populi procus eſt, paſſuſq; ſagittas
Nubentis ſimili principis Igne calet.
Et tua dùm noſtras ſociant ſponſalia dextras,
Connubij tandem fœdera nomen habent.
Non ſponſam, fateor, paribus Natalibus æquas;
Nec ſimiles thalamos fers, ſimileſve thoros;
Nec Te tam magnis jactas è Regibus ortum,
Nec ſtirpem decorant Regna ter-ampla tuam.
Haud tamen accedis minor; eſt pro ſanguine virtus,
Quodque Illi Fœlix, dat Tibi Forte genus.
Par Sceptris Patris gladius tibi ſtemmata Bellis
Auxit, & antiquis Regibus æqua dedit.
Par tua regali victrix Domus, Hinc quoque Nobis
Majorum factis Imperialis ades.
Et licet in Dotem Sponſæ non porrigis Indos,
Sed plures conjux ferret Iberus opes;

Gallus

Gallus & in Thalamos rueret magis aureus, & Te
Ex Arcâ vincat Natio multa suâ:
Tu tamen in Dotem Patris clara Arma ministrans,
Ferrato in gremium Ditior Imbre ruis.
Amplior & sors est Indis, adferre Triumphos,
Et par possesso victus Iberus adest.
Cujus ad ereptum plus est quòd nasceris Aurum,
Quàm natum; Gemina est India capta, Tua.
Fersque polo coctum, Dives, sub utroq; metallum;
Et cadit in fiscum sol, oriturque tuum;
Dùm toties Tibi vectat Opes Hispania victas;
Cedit & in Census annua præda tuos.
Nec prædæ tantùm, Hispanæ & formidinis Hæres
Nasceris, & puerum Gens spoliata timet.
Ætatique metus nutrit, versatque coævos;
Atque Annis fingit Damna futura tuis.
Anticipatque tuos Infantia læta triumphos;
Dùm tenero fortis spirat in Ore pater.
Qui sua bella tuo cernit, sed mollia, vultu;
Miscetur que tuis *Marte Cupido* genis.
Hinc gemina oppositis vibrantur vulnera telis,
Currit ad hæc Conjux, Hostis & Illa fugit.

IASPER MAYNE. M. A.
ex Æde Christi.

HVc ferte Flammas, huc citò Virgines!
Porcum poposcit Magna Gamelia.
Postica Fel epotet Ara,
Ne vitiet Teneros Amores.

Fælìx ab alta lætior arbore
Cornix locuta eſt; & pede firmior
Inſedit haud unas Olivas,
Pacem Animis, Vegetamque Membris

Spondens Iuventam. Ecquando Serenior
Sacras ad Aras Cäius aſtitit?
Ecquando Lucem purpuravit
Caja Genis magis invidendis?

Dum Tu ſecundo per mare gurgite
Adnavigâſti, Fluctibus efferens
Se Diva Vectricem ſpopondit
Ipſa Tibi Cytherea Concham,

Surdum allocuta. Huc Flamma fidelior
Te deſtinato pectore vexerit,
Divâ vocatum pulchriore,
De Domino Maris enatante.

Spectans Ocellos Virginis, & Tuos,
Cur (inquit Hymen) in Sacra devocor?
Hinc cerno Binas, inde, Tædas;
Sola mihi quatienda Quinta eſt.

Mox ſpectat Annos Virginis, & Tuos;
Et, Ludor, inquit. Corporis inſciæ
Mentes Beatæ ſic ligentur;
Sic Animas Animæque ducant.

Paulùm at moratus; Perplacet hoc, ait:

Iam

Iam Regna jungo, jam Populos ligo,
Genteſque connecto tremendas
Fædifragis, Gravibuſque Iberis.

Hinc ſparge, Vates, Sacra Numiſmata,
Quæ Virgo, junctim quæ Iuvenis notet;
Inde Altera, at quæ connotentur
Effigie Gemini Popelli.

Iam ſeminentur Mutua Baſia,
Meſſis futura: & Murmura miſceant,
Et Vota: deponantque Verba,
Pignora Connubij Secundi.

GVIL. CARTWRIGHT. A. M.
ex Æde Chriſti.

Macta juvencam tergore candido,
Immerge fronti Vina, Agito, para
Libum Deabus; Victimiſque
Numina nec careant, Sacerdos.

Placa Tonantem munere candido,
Martemque placa, quodque domat fretum
Numen, corona ſingulam Aram
Et Paphij, Paphiæque Divæ.

Præcinge ſertis tempora marcidis
Afferto, Hymen, tædas propero gradu;
Adſis, faveto conjugali
Iam Thalamo, auſpicijs faveto.

Sic

Sic ut Corymbi cingere geſtiunt
Vlmum, prementes arctius arborem,
Lauroque ramos jmplicare
Myrtus amat propiore nexu;

Naſſovus illam cingat, & invicem
MARIA Naſſovum, face mutuâ
Ambo caleſcant indies, nec
Hos dirimant graviora fata.

Ecquis timebit nunc tumidæ tuæ,
Ibere, claſſis carbaſa turgida?
Bætin ſuperbum temne, Belga,
Temne, Brito, fremitus minantis.

Conjunctus Anglo jam Batavus Leo
Proſternet hoſtes viribvs. Haud timor
Ne in ſe invicem truſi gemelli
Vrceoli pereant (quod aiunt.)

Vos ô Puellæ ſternite Gallici
Nimbum Liguſtri, ſternite CAROLI
Patris Roſarum prodigum imbrem,
Numina ſollicitè jnvocantes.

Optate Natos, Sceptra, perennia
Serumque fatum, ac ut Boreo polo
Tandem (velut Cepheus & Vxor)
Lucida ſidera collocentur.

HENRICVS VAVGHAN.
A. M. Coll. Ieſu Soc.

Lævis

LÆvis adhuc, nec dum Vir conſtituende Marite;
Tuque Vxor Virgo, Virgo futura diu;
Tam Caſtos Dilatus Hymen colit ipſe Pudores,
Nec tantum Cœlis Pinus Adulta placet.
Ne jactet plures Amor hoc ex Fædere Tædas,
Et ludat Ritus, Pronuba Diva, Tuos,
Præcipitata celer diffundat Tempora Currus,
Hanc Matrem facias, Hunc citò, Iuno, Virum.

Hic Fratri Lucem, dedit hic Tibi, Sponſa, Maritum;
O Quantum Menſis Munus Vtrumq; juvat!
Quære mihi Niveos, Puer Officioſe, Lapillos,
Ut Gemmâ Feſtum Candidiore notem.
Si tamen has vincant magè Lactea Corpora gemmas,
Pulchrior Ipſe Suum ſignet, & Ipſa Diem.

HEN. KILLIGREW, A. M. *ex Æde Chriſti.*

CŒlo lapſa pudica caſta flamma,
(Ne ſe pæniteat poli relicti)
Binas has ſibi deſtinavit Aras,
In queis Purior ardeat, nec Ortus
Damnum ſentiat. An pigeret Unum
Cœlum deſerere? Iuvenit Gemellos.
Illos nec ſteriles: Nova uſq; & uſq;
Hinc ſurget, numero ut ſuperba poſſit
Cognatas ſibi provocare ſtellas.
Cernis tanquam Animas adhuc maritas,
Caſto Fœdere; nec Venus, nec ullus
Cupido thalamo aſtitit jugali:

Hæc fecit ſacra Veſta Nuptialis.
O Suaviſſima, Diva, Virgo, Conjux,
Illibato animo innocens, & annis;
Annos adijce, Virginemq; pone;
Et pro Te ſimilem repende Mundo.

G. GISBYB *Ioann.*

EXulet Aonijs procul & procul impius oris
Quem non movit Amor: Boreæ ſub frigore duro
Torpeat, æternâ conſtrictus membra pruinâ.
Dum vos Pierides tacitas per pectora flammas
Sanctè admittentes, agitante caleſcitis illo.
Invadit Regum mentes divinior ignis,
Conſpicuuſque ſuâ ſtat majeſtate *Cupido*.
His, tremor Heſperiæ gentis *Mauricius*, armis
Cedit; & attonitus victricem projicit enſem.
Poſt tot devictas gentes, totidemque triumphos,
Non pudor eſt his poſſe capi: Naſſavia tellus
Cûi ſervit, tremuliſq; undis celeberrimus *Ecca*,
Captivum deduxit Amor: quem *Martia* turba
Non poterat, gaudet viciſſe Britannica Cypris.
Quàm placet his perijſſe armis! optaret *Iberus*
Iam tandem ſic poſſe capi: nec Gallica virtus (vis
Hanc fugeret cædem: velit his ſuccumbere in ar-
Ebria fraterno Germania ſæva cruore,
Sic CAROLUS vincit gentes. *Amphiona* fertur
Carminibus *Thebas* ſtruxiſſe; lyræque ſequacem
Ad numeros trepidâſſe urbem, lapideſq; procaces
Vltro ſe petijſſe aiunt, nulloque jubente,

Amplecti,

Amplecti, & cæco connubia jungere fato.
At plus forma poteſt, formâque potentior omni
Virgineus pudor, & nondum temerata puella.
Diſjunctas ſociare urbes, totumque per orbem
Diviſas gentes potis eſt: & fœdere certo
Æquora frænare, atque undis imponere leges.
Non tantum Mavors, non tantum carmina poſſunt.
Perge tuum *Cæſar*, ſic ſic augere popellum:
His caſtris vincas orbem, quem vincere ſævo
Marte ſoles: cunctis oris numeroſa propago
Terrorem incutiat: devictis gentibus, orbis
Et caput atque pater fias; nec ſydera clara
Te priùs accipiant Dominum civemque, videre
Quàm liceat toto regnantes orbe Nepotes.
Túque Deis dilecte ipſis, Deus alter, in orbem
Reſpicias placidè Britonum: Naſſavia noſtris
Iam ſit amica oris: & tuti caſta *Batavâ*
Inviſant Angli, *Thameſiſq.* reciprocus amnis,
Amplectetur aquis, & amico flumine *Meinum*.
Ne tamen has linquas oras; virtute fruamur
Dum liceat, virtute tuâ; nec gaudia nobis
Et parias tollaſque ſimul; ſed lenior adſis,
Et vultu foveas Muſas gentemque Britannam.
At quando Auriacas gaudes inviſere terras,
Vndæ ſubſidant tremulæ, tacitéque ſuſurrans
Æolus, innocuis diſtendat carbaſa ventis.
Cuſpide percutiat CAROLUS maris arbiter, undas;
Ut circum ludat *Proteus*, pateatque profundi
Regia Majeſtas: ſic nondum nota voluptas,
Excutiat terrorem animis, & tædia fallat:

Cum noſtro *Venus* orta mari, mare præſtat cunti.

PETER MEWS. *Soc. Ioann.*

Armenicè

TOV Alamanzzi Alam Alamani ar
Cheſs Sſaſſouths Im Sſſuſai Aſdouas ar
Sſi eraneal en ſſors miangn lar miapane
Eraneal Chan Sſſoſai ſſurs mighavad miaarne
Amouſin chu nai agizze
Sſi ichnazz gguezz dnghealizze.

PRince cheri de la fortune,
De Venus, et de ſon enfant
Vous eſtes aujourdhuy triomfant
Du plus beau joiau de Neptune:
Car qu'auoit ce dieu de plus beau,
Que noſtre Princeſſe Marie?
Cupidon vous las aſſeruie,
Aimes la donc jnſques au tombeau.

DVDLEIVS LOFTVS *Inceptor*
in Art. è Col. Vniverſ.

NON tanti offenſus populus, quaſſataq; regna,
Vincula & ipſa ſibi male fida, labantia jura,
Non tanti violata fides, Diademaq; læſum;
Hac non lege nocent: Hac conditione placebunt.
Auſpicijs jam regna novis, nova ſceptra parantur;

Et

Et flammis Diadema novum, tædaq; jugali
Admiſſus ſacravit Hymen. Naſſovia prorſus
Anglia fit: tantùm pars, tota *Britannia* regni,
CAROLE magne, tui, ſolium tam provida fata
Securum, & læto portendunt omine pacem.
Excipit iratum pelagus tranquillior aura;
Et quæ paſſa ſuum, ſolidatur terra, tremorem.
Alta ſedent & fixa magis fundamina regni,
Quæ nuper vario torſerunt fata tumultu.
Sive tuos tremat ad nutus, faſſuſq; pudorem,
Seu populus tantas concuſſus ſentiat iras.

HERBERTVS VAUGHAN è Col. Ieſu
Equitis Aurati filius unicus.

IAm tandem gaudet proſterni *Martius* Heros,
Vinclaque geſtat ovans, genti par unus Iberæ
Anſtriaciſque minis: victricia ſerta, triumphos,
Lauruſque expectans, hoc quòd certamine victus.
Sic ubi jam proſtrata jacent armenta gregeſque,
Sanguine nec fuſo placatus, dente minaci
Proruit, intentus perituris hoſtibus, iras
Trux Leo funeſtas ponit, cum Virginis ora
Conſpicit, & gremio geſtit componere rictus,
Nec pudet in medio victum jacuiſſe triumpho.
Vincere quæ potuit felix, felicior ille
Qui vinci potuit. Sibi jam gaudebit *Iberus*
Martem præferri *Auriacum*, nec dedecus armis
Cedere jam Batavis, acceptâ aut clade dolebit.
Omine tam *Fauſto* macte, Anglia! fæmina Tantum

Si nôrit ſuperare Ducem (ſed fæmina Princeps)
Quid Carolus poterit, quem nemo impunè laceſſit?
Qui Patriam haud credit tutam, licèt aggere multo
Munitam, Oceanique vadis, proprioque Tridente,
Niſi ſimul & Populis, & multâ Principe vallet,
Æternos proprio generans de ſanguine muros.
Hoſtilem imperij jactet cæmenta cruorem
Dira ſui Hiſpanus, tituliſque ſuperbiat amplis,
Sed ſimul his raptu partis; dum Carolus orbis
Et Pater, & Princeps, totuſque fit Anglia mundus.
Primitiæ Regum eſt & multi Principis arrha,
Optima pars Meſſis, præſentis gloria ſæcli
Et ſtupor, exemplum ſimul & Lex una futuri,
Quem Deus Anglizans ſacrat, Naſſavius heros.
Naſcitur Hic Sponſus, non fit; ſuus ipſe *Cupido* eſt,
Sat calet ille ſuo, peregrino haud indiget igne.
Entheus eſt, nec amore calet, ſed Numine; flammis
Ignotis fervens Vates Veneriſque Sibylla eſt.
Nec vidit, tamen hic perijt: neque lumina Sponſæ
(Lumina, quæ pueroſque ſeneſque accendere poſſent)
Conſulit, ut lentum gradibus ſuccendat amorem,
Inſtauretque faces. Quod perficit incrementum,
Non Amor, at Fœdus fragile eſt, qui Baſia figit,
Et capit, & figit rurſum, ut primo addat amori,
Eſt ſibi rivalis: terra eſt, & fæce laborat,
Quod ſenſim recipit, ſenſimque accreſcit in ignes;
Momento accipiunt, & reddunt ſydera flammas.
Plus amat in Sponſâ, quam ſponſam; neſcit & optat
Delicias, quas jam neſcit, dum Virgo marita
Innocuos timet amplexus, neque caſta videtur

Sat

Sat ſibi, ſi Conjux, nec maſcula Baſia libet.
Verum amat amplexus, quos ſic fugit, oſcula poſcit
Quæ timet; exoptat titulos refugitque Maritæ
Haud aliter Magnes tremuli ambit ſemina ferri,
Conjugium exoptans, vix nato utroque; nec auro
Se Lapis, aut ferrum gemmis ſociabit adultum.
At quaſi nec proprijs ſatis ardent pectora flammis,
Et Britonum & Batavæ ſuccendunt corda favillæ.
Cum populum transfigat Amor, ſatis una ſagitta;
Arte opus eſt, Socioſque vocat, cum Regna maritat,
Sufficiunt nec mille arcus, nec mille pharetræ.
Aſtra, gregem Cæli, ſtricturæ & fruſtula Lucis,
Vix ſolem accendit radiorum tota Supellex.
Martius interea Sponſus dum ſubjugat orbem,
Et ſerta extendit felix victricia, donec
Deliquium patitur Phæbe Ottomanica, Solque
Perſicus ex alto palleſcens decidit orbe;
Captivos iterum proſternet Sponſa, ſed armis,
Lumina quæ torquent, quibus olim & vicit ovantem.
Quos domat Hic Populos gladio, Hæc retinebit amore.

GUIL. CREED. *A. M. Soc. Ioan.*

TEmpus erat, quo nec ferventi *Sirius* igne
Canduit, è *Scythico* nec triſte remugijt antro
Trux *Boreas*. Soli mundum mulſere *Favoni*.
Iupiter antiqui recolens cum gaudia ſæcli,
(Tunc, cum *Iuno* puella,) epulaſque dapeſque revolvit
Sublimes animo, cogitque ad fercula Divos.
Nec mora; conveniunt picti in laquearia Tecti,

(Solus

(Solus Sol aberat, quem ſic deferre regreſſum,
Nec petere Occiduum, ſatis obſtupuere, profundum)
Poſtq; datam acceptamq; ſimul, de more, ſalutem,
Diſcubuere epulis. Roreſcunt nectare menſæ,
Et Ganymedæos deſpumant pocula ſuccos.
Iupiter auratum poſcens Cratera, propino
Hunc, Mihi, primũ, inquit (nam quid Me majus habetis?)
Hunc thalamiſq; meis; Superi applauſere, replentur
Hinc atq; hinc calices; vix ſuffecere Miniſtri
Tam citò ſiccatis. Sua, tum, poſt juſta peracta,
Continuat primum laxatus Iupiter hauſtum:
Has mea Iuno vices ſibi vendicat, inquit; adimplet
Phryx puer evacuata toreumata. Protinus alta
Atria ad inductas circumſonuere quadrigas.
Phæbus adeſt; Aulamq; intrat, quæ cauſa morandi?
Excipit unus, an, ô, ſummi conviua Tonantis
Lentus ades? nunquid nodoſi copia lori
Iam minor? alter ait. Sed tertius, acriùs urgens,
O Phaëtonteæ nec adhuc oblite ruinæ!
O memor! exclamat; *concuſſus fulmine natus*;
Hinc tardè accedis Feſtum, tardeq; Tonantem.
Phæbus ad hæc: nec me, quod vindice fulmina dextrâ
Vibrâris, Rex ſumme, movet, nec ſtridulus axis
Anſa moræ eſt. Sed me magni ſolennia ſacri
Me thalami tenuere; quid? ô, quid lumine vidi?
Dij veſtram, Dij, quæſo fidem! ſpectacula nunquam
Tanta, nec Auguſti magis increvere triumphi.
Cunctantem nentemq; moras, ſic admonet vnus;
Ne ſuſpende Deos, dà nomina, Phæbe; quis Ille,
Ille toro junctus? quænam Illa? & cætera texe.

Progreditur

Progreditur Phæbus. Boreæ qui vergit ad axem
Sat notus populus, quem circum brachia Nereus
Porrexit, vastoq; repostum gurgite clausit.
Est &, cui posito sub eâdem Climata Zonâ
Temperiem præstant, terraq; fretoq; tremendus
Hinc atq; inde potens Populus; quid dicere *Belgas*,
Quidue juvat Batavos? quin res attendite. Natu
Maximus *Auriaci*, natuq; & maxima Regis
Angliaci firmo sociantur fœdere lecti.
Deliciæ Ille & amor generis, sine *Marte* creare
Quem nequijt conata *Venus*, solâq; *maritâ*
Mars potuit Venere. Hyblæi flos mollior horti,
Et fulmen Campi; floretq; & fulminat Idem.
Illa (quid? argutos primò demirer ocellos?
Purpureasne genas? an collum lactis adorem?)
Plus est, quàm vel ut una *Venus*, vel Gratia simplex
Dicatur, mistis fruitur: cui Lilia pallent
Et Rosa succumbit, *pudibundum* exerta *ruborem*.
Non sic fragrat Arabs---- Arrexit pronior aures
Iupiter, &, quis vultus, ait, quæ forma puellæ?
Suscepit Iuno, quid sic meus anxius hæret,
Vultumq; inquirit, Conjux? de Virgine sperat
Amplexus? Caroli desciscum *stemmate* germen
Corrumpi sic posse putat? subrisit Olympi
Rector, Zelotypam qui noverit esse Sororem.
Iamq; ait, (ur, *Batavos* inter, firmetur, & *Anglos*,
Perpetuum fædus,) Cœlo hoc solidabimus alto.
Assensere omnes; crepuerunt tecta sub ictu
Applausûs; rursusq; alium est induta paratum
Mensa, novos latices immortalemq; cibatum

Protulit è propriâ genialis Iupiter arcâ.
Hauritur *Carolina ſalus*; *Regina*, ſecundos
Hos capias (clamant) hauſtus. MARIA, ſaluti
Conſulimus ſic, dia, tuæ. date vina Miniſtri.
Auriaco hæc libanda patri, populoq; faventi
Magnanimo heroi; ſic, ſic *pars vna* peracta eſt.
Hæc *Sponſo* ſint ſacra *novo*; ſic. pocula nymphæ;
Sponſæq; hæc ſint ſacra *novæ*: præbete Liquorem
Præbete; ô, decies cyathos, decieſq; replete.
Ohe! ſiſte haurire puer, *temulenta* deorum
Turba ſumus, pateris merſi, ſomnoq; ſepulti.
Qualis io thalamus! cujus ſolennia læti
Præſtant *Cælicolæ*, nec (mire amor!) ante recedunt,
Nectareo quàm fuſa mero ſua Numina *ſtertunt*.

GVIL: BEWE Col. Nov. Socius.

COruſca Sponſa, Regiiq; Floreti
Præcerpta Gemma: quando opimitas pulchra
Ac multa Tecum transfretabitur; pompæ
Tethyn Marinæ cerne præparabundam,
Et patrios Tritonas in triumphali
Conchâ ſonorum Nuptiale turgentes.
Tameſina jungit oſtia oſtiis Rheni
Nereis Harum blanda *Naiadum* interpres.
Aliam minorem Tú ne Patriam condes,
Britanna *Dido*? Belgiumq; concertans
Aremoricæ, mox Inſulæ Tuæ nomen
Tranſcribere optet? Sed Britanniæ maltum
Utcunq; tranſplantatur unicâ in Tali;

Vicini-

Vicinitatéq; emines peregrinâ:
Ut ambiente Caſpium ſolo obſeſſum;
Araufiúm ne quale jam Tuum nôris
Claram hoſpitantis inſulam poteſtatis.
Affulge Belgis; Belgicaſq; virtutes
Remitte, mercem nobilem bonæ Mentis.
Abſentiæq; pretia ſuppetant Tantæ:
Concordiæ indiſciſſa palla nervoſæ,
Auctrix puſilli: hinc actuoſitas ſolers,
Et expeditæ providum jubar mentis:
Tum Martialinon fragore diſcuſſæ
Muſæ: vel Hydra ſumptuariæ molis:
Magiſvé nuſquam Pallas ægidem exercens:
Sui Gradivi tum ipſa Cypris armatrix,
Vel æmulùm Spartana. Quin nec in longas,
Nullâ vadatas officI plagas arrhâ
Nunc abſtrahenda es: ſi ſit arrha, protecta
Virtutis herba vagienſq; libertas:
Anglæq; ſeminarium inde Bellonæ.
Oxonia demum tranſmarina *Lugdunum*
Tibi per Batavas gratulabitur Muſas.
Vulcanium Camæna moliens greſſum,
Reduciſvé Martis *Phyxio* minùs freti
Patre quàm *Statore*, militi Tibi nato
(*Auriace*) ſervit: Quem tenens, ut Alcidam,
Cunalis almæ clypeus incitim Lallæ
Allufit; & qui nunc adultior monſtras,
Paphiæ ut volucres nidulentur in Martis
Galeâ libenter. Hinc Tibi novè mollem
Talaſſionem durior canit *Scazon*,
At *Galliambo* fortior levi *Scazon*.

Ἀνιδοῦσα τὸν δ' Ἄϊαντα
Ἐνὶ πασάσιν γανώσαν,
Τάδ' ἐφύμνιζ' ἡ Κυθήρη.
Ὀαρίσατε μνέ θ' Ὑμέν,
Ὁμοταγῆτά θ' ἁβρὰ Ἔρωτες,
Οἵς ἐμᾶ μάλιστα Κεστᾶ
Κατὰ νοῦς ἔοντας ἐφάνη
Πρύτανις τελεσιεργός.
Φιλέω γὰρ νῶϊ σὸν ὄμμα,
(Ὅσα μὴ πάρος γε μᾶλλον)
Ὅτι τὸν δὲ τᾶν Σωφρο-
Ἐπίδηπας ὑμναίων.
Ἄγε καλλίστα φέρε τᾶλι
Βασιλείᾳ Βρετανᾷ·
Ἀλίωσεν δ' Κυθήρη
Περλεθεασσικλία τὰ πος
Ἐν ἀπαργάνοισι πρώτοις.

Ὅτε σοὶ δέδωκα Κεστὸν
Ἐλεγεροῦς δυάδας,
Ὀπώριον πρόν γε.
Ἔπος αὖτ' ἄρ' οὔρες ἔργον,
Θαλερωτάτη γεγαῶσα
Πόσιός γ' ἀναγκάλισμα.
Ὅς σ' ἄρκυσι πέπτηκε
Ἀλίνοισι τᾶ πόθοιο.
Σὺ δ' τ' ἀγρεῖς ὄναιο,
Ἄφατον λαβοῦσα τιμόν.
Πίτνα, Νυμφίῳ πεθφιῷ
Φρενοπλῆγος αἰεὶ ἰυγρὸς
Τίν' ἐσεσαγήν γ' ἐπῳδάν.
Ἐπάϊσον ὡς τε Μοῦσαν
Γαμικὸν μέλισμα Κάδμῳ,
Ζυγίας τὸ μυσαγωγὸν (ΠΑΝ,
Φύσεως· ΦΙΛΟΝ, ΚΑΛΟΝ

רחש לבבי טובים ויפות
לשון כעט סופר שיר ידידות
חותן בחפתו שש ויקיר
היא מובני חרים ראש ויתיר
גריב בתוגרמה אב ויועץ
גבור במלחמה ער בגלי קץ
כלה מוהללת היא כגביש
רבת יפי בת מלך כתרשיש
הוא יחנון ערשם רעננה
ריח כרודאים לחגינה
גם לא יהי צמר התאמים

DVm Genitor rutilis Magnus *Fredericus* in armis
Geſtit, Victor ovans Hiſpanaq; diſſipat Arma;
Tu quoque Bella geris, ſed amantia Maxime Prin-
Ille ferit: profugos & ſpicula mittit in hoſtes: (ceps.
Tu, molles, *Gulielme*, genas peramabile tactu
Formoſæ accedis *Mariæ*; faciemq; pererrans,
Spicula, dilectam (tua Lumina) tendis in Hoſtem.
Fulminat Ille minas, Tu, verba precantia fundis.
Regia Captivôs in caſtra reducit Iberos:
Aſt, oculos Tu, labra, genas, & pectora ducis
Captivaſq; manus, pretioſa ubi balſama ſtillant.
Sic Tibi ſubducis *Mariam*, prædâq; potiris.
Et Tu ſplendidior Genitore vocabere Victor.
Præda quidem pretioſa magis, quam Claſſis Ibera
Argento gravis; hæc, tantùm pars quantula gazæ
Audiet Occiduæ? coëunt hìc Indus uterq;
Vtq; Catenatos ducit *Fredericus* Iberos:
Tu, Princeps, arcto amplexu, Zonaq; jugali
Captivam Tibi devincis, Sponſamq; *Mariam*.
Captivos ad tranſtra vocat *Fredericus*, at ipſe
Ducis adoratum ad thalamum, requiemque *Mariam*.
Lumina nec quæris; præmonſtrant, nempe, *Mariæ*
Lumina ſola viam: Clauſis his, advenit umbra.
Quàm benè pugnatum eſt? Quis ſic non militet? Ito,
Scande rates; placidi feriant cavâ lintea Venti.
Fortunate nimis Victor ſic vincere Victam.
Vt non pæniteat vinci! Sed vinceris Ipſe,
Et Te Captivum retinet Captiva *Maria*.
Componit Laqueos è Crinibus; oſcula jungens
Crinibus innectit crines, & retia nectit.

Mox etiam Armillas format, queis Callida cingens
Brachia, ſub ditione putat Te, Maxime Princeps.
Cumq; toro recubas ſomno requieq, ſepultus,
Has artes meditatur, & his amplexibus Illa
Vtitur, ut nunquam Te ſentiat eſſe remotum.
Sidus eris nobis Fælix, Celſiſſime Princeps,
Sive Britanna tenet Tellus, ſeu Belgica poſcat:
Belgica corporibus qui corpora junxeris Anglis.

ED. MAROW, *LL.B. Nov. Coll. Soc.*

HOc eſt quod olim plena cecinimus Deo
Caterva vatum: Nempe vocalis Lyra
Quod ſonuit, hoc eſt: Deſiiſſe oracula
Profana jactet lingua, nos melius novos
Delphos Athenis invenimus & Anglicis.
Carolina ſurge ſtella, & hinc illinc faces
Spargas per orbes Gallicum ac Hollandicum:
(Vtraq; iſta lumen gens adoret cùm Tuum)
Sponſos avoſque: prima tibi profert tuos,
Ideoque Prima eſt. ſurge, quò radio queas
Luſtrare claram verticali Aurantiam;
Rhodanumq; videas triſte vectigal mari
Iam deferentem: cum Ipſa, quæ poſcas, ades
Quocunq; Ponti major & melior Deo.
Nec hæc morantur ſola; Te Rheni petit
Rivalis unda, millibus Dominam ſuam
Emptura gemmis, cujus influxu tumens
Hoc vere dignam ſpondeat vindemiam.
Naſſavia hic te, hic & potentes Ordines,

Iam

Iam Fœderantes Eja! cum ſic Principes
Coeant in unum, dicite ô vates, Quid eſt
Poſthæc futurum? Namque noſtræ huic Inſulæ
Se remigabit uniens Batavia,
Aut propria medius linquet Oceanus vada.

I. Goad. *A. M. Soc. Ioan.*

VEſta vale, *Diana* vale, tempuſcula gaudent
Nubere verna; gemens ciet ad connubia turtur.
Heus Charitas, lætæ thalamos accedite regum,
Heus accede Hymen; quamvis impubis uterq;
Qui cunis oritur, nequaquam extinguitur ignis:
Blandior hæc ætas, hæc prorſus amantior ætas;
Ipſe Deus veſter puer eſt, qui numen amorum;
Alget ſerus amor: teneras fæliciter anni
Has mox perficient flammas: tum prævie tardos
Heſpere matures curſus: tum ſpargere, nympha,
Te radios optat; gemitur, quia ſerius adſis.
Tum præblanda *Venus* faveas: accendite tædas,
Quas ſubitò extinguat digitis marcentibus Hymen,
Tum thalamum tenebris aſcendat nympha mariti:
Læta velut vitis frondoſam amplectitur ulmum,
Sic & uterq; pari redamans efferveat igne.
Flevimus heu longùm, ſed fæliciſſima lymphas
Iſtas in vinum mox hæc ſponſalia vertent.

Georg. Gvynne, Armig. fil. natu max.
è Col. S. Io. Bapt.

Gaudia

G audia noſtra novum tentabit dicere carme N,
V ltro aderunt muſæ, vel certe a Principe tant O
L ætas ſumemus (ſic olim ab *Apolline*) vire S:
I am tandē genio, tibi tandē (Hymenæe) dicebi T
E t ſorti, & regno gratari, ac vota libente R
L arga dari ſuperis æthrâ reſonantia tot A.
M yſta requiſitis ſacris imponere fine M
V t cepit, ſubitò fortunâ exurgere noſtr A
S ecuri incipimus; dein Nuptis fauſta precamu R
E veniant. *Ipſi Belgæ* ſociantur & Angl I
T um, cum iunguntur *Naſſovius* atque Mari A.

CAROLUS STAFFORD, Armig. fil. Col. Exon.

SI forſan privata ſuo eſt nuptura marito
Fæmina, maturos differt hoc munus in annos,
In thalamos properare timens: nec ſponſa vocari
Antè audet, quàm ſe ſpondet fore ſponſa parentem:
Quæ prægnans etiam eſſe poteſt, hæc nubilis ætas.
Principibus ratio diverſa eſt. Regia virgo
Vel naſcens ſocianda viro. Non illa parentum
Filia, ſed Patriæ; noſtros donatur in uſus:
Vt ſponſo conjuncta pari, nova regna Britannas
Advocet in partes, properandaq; fœdera firmet.
Ille licèt nondum, nondum licèt illa rogaret
Conjugium; Batavi, noſq; Angli poſcimus omnes:
Res hic noſtra agitur; nobis connubia fiunt.
Cum nondum peccaſſe queant, ſine crimine tales
Innocui coeunt: adolevit nulla libido,

Nullus

Nullus adhuc niſi caſtus amor: Rapiuntur ad illas
Nequaquam affectu tædas, ratione feruntur.

RIC. NEWMAN, A. M. Col. Mert.

O major magno Princeps Invicte Parente
Illum obſidentem pertinax murus tenet;
Aut arcis tenuis moles ſua ſigna ferentem
Iubet Parentem ſiſtere, atq; hyemes pati:
Tu Regis, gentiſq; ſimul ſpolia ampla reportas,
Tantamq; Palmam victor aſpectu refers:
Ignotam Batavis calles fælicior Artem,
Semeſtris illa neutiquàm obſidio fuit.
Succeſſus concuſſa novos Brabantia volvis,
Tremiſq; nè MARIA præludat tibi;
Ne ſic ille tuas veniens eluſerit Arces,
Vel inferendo Cuncta victurus pedem.
At tu ſic Armis, qui ſic ſuccedis Amore,
Hominumq; & orbis victor evades ſenex.

RO. GROVE, è Col. Nov. A. M.

EN noſtræ Novus Hic *Leander* undæ
Rorantem *Veneris* ſuæ parentem
Sulcans remige tutiore lambit,
Optatus ſimul Hoſpes, ac Maritus!
Annon prolifici Maris juventus
Veſtram præſiliens amanſque Navem
Argumenta Tori dedit futuri?
Annon murmura baſiantis auræ

Et molles habitus Eteſiarum,
Quæ ſparſam Ratis ambiêre byſſum,
Præluſére Tui labris Amantis?
Nam Tu debueras amare primus,
Sponſæ jam teneræ Vir, & Magiſter.
Ergo quis Deus imperantis Aulæ,
Regni *Mercurius* quis hìc bifrontis,
Vt præcox Hominum Deúmque Rhetor,
Tantis ingenij Tuum reterſit
Theſauris Animum? Vides, & uno
Noſtras intuitu capis puellas;
Sic miſcent Animæ ſuos amores,
Quêis omnis, Genialis audit, hora.
Geſtu crederis & Tuo procari;
Vis nunc ducere? Colloquare tantùm.
Ipſe es *Mercurius*, *Cupido* es Ipſe.
Te Magnus Pater hîc reponit, ut ſis
Et victor *Veneris*, ſuique *Martis*.
Iam poſt fœdera Conjugalis ignis,
Poſt hinc implicitas & inde dextras,
Et Gemmam Digitis datámque Templo,
Ne Sponſam, precor, arroges tenellam,
Et Regno properes Tuo locare,
Europæ ut Procus ille, Tranſmarinus;
Sis fallax minùs, haud minor Tonante.
Hìc *Hero* maneat vel uſque veſtra,
Hero nunc etiam ſecunda; Regni
Lux, Aſtrumque ſui; ſed & Tibi Aſtrum.
Hìnc à littore ſtans ſuo reducet,
Et vultûs face, Luminiſque gemmâ

Veſtram

Veſtram per freta diriget Carinam
Olim cum Melior venis Maritus,
Atque à Nocte diem ſacras jugalem.
Quòd ſi contigerit natare Binos
Et Ponti vada tranſilire, Cygni
O ſitis gemini, ſed abſque Cantu.

SAM: EVERARD. *ex Æde Ch:*

ANglia, Te Natâ, gaudet; Te Belgia Sponsâ:
Gaudeat Illa tuo ſemine, & Illa tuo.
Sis tantâ, ſis tam numeroſâ prodiga prole,
Auſtria ut hoc ſolo ſit ſuperata Thoro.
Ampla priora ſatis, ſed jam nova mœnia, tutos
Quæ poſſunt Anglos reddere, ſtruxit Hymen:
Et Turres hinc ecce novas ſuper æquora ſtructas.
Quid poterit frater, ſi ſoror iſta poteſt?
Eſt neque jam noſtros Nautas cur Turcica Pinus
Terreat, aut Claſſis Lunula, Ibere, tuæ.
Noſtra, memento, tuas ſparſas per littora puppes,
Aſpice & Auſtriacæ Belgica Fata domus.
Belgicus hoc ſolus potuit? potuere Britanni?
Quanta poteſt Anglis Belgia juncta ſuis!
Inque his junxit Hymen Sponſalia littora. jam Pons
Claſſicus æquor erit; vade MARIA. Vale.

GEORGIUS ZOUCH. *Nov. Coll. Artium Magiſter.*

INter discordes cum *Mars* sæviret amicos,
Armaretque illos invidiosus amor;
Hoc unum auratum, (jaculante *Cupidine*) telum
Omnia speramus composuisse mala.
In sacras igitur mutemus spicula tædas:
Sit laurus, sertum; sit tuba, dulce melos.

Εἴπερ ἑορτάσιμος μνήστεια γένοιτ' ἰδιωτῶν,
Ἦ γάμος ἀρχόντων μᾶλλον ἑορτάσιμος.
Ἢ δ' ἰδίων, οὗτος ἢ τὸ κοινὸν χρῆμα περαίνει.
Ἢ δ' οἴκους, οὗτος δ' ἔθνεα μᾶλλον ἑνοῖ.

THOMAS CULPEPER. Eq. Aurati filius è Collegio Vniversitatis.

CVPIDO adultus nascitur, virgo parit
Natum MARIÆ, non quidem prodit novus
Rex inde Genitor, fit tamen rursus Pater,
Nec filij sed Gentis: ut doceat quibus
Arctare Charos vinculis Britonas velit,
Nodis Amoris exteras Gentes tenet,
Imperia sibi non subjugat, sed conjugat.

HEN. OSBASTON. *Ioan. Soc.*

O Hominum communis amor, communis amator,
Cujus Roma manus, cujus sit pectus Athenæ;
Isthme maritalis, sociali fœdere Sponsans
Angligenas Batavis, geminæ velut annulus oræ:
Hîc Phæben tibi sume tuam; quæ spernere possit

Eclipses,

Eclipſes, proprioque jubar tranſmittere *Phœbo*.
Pompa ſibi eſt, ſua Tæda genæ, Annelloque jugali
Gemmula, calcando lapides facit illa Pyropos.
More Monarchali ſi Te Pictura procâſſet
Principis; in Statuam riguiſſes Virgine visâ,
Pygmalionæo Tabulam miratus amore.
Ecce *Cupido* ſuos quàm nunc exoptat ocellos,
Hanc ſpectandi avidus; Quam ſi modò viderit, Oris
Ipſe decor rursùm attonitos cæcaverat orbes.
Quæ quamvis vel Nuda queat placuiſſe, Tonanti
Hæc tamen aureolo Danaë deſcendit in imbre.
Tu *Venerem*, & ritu Venetûm ſimul æquora ducis;
Belgáque adoptaris Britoni Melicerta Tridenti.
Quod tamen impubes tedâ caluere medullæ,
Hoc Genij, non Artis opus; Mentiſque Hymenæi,
Aut Natalitium quòd Vos contemperat Aſtrum.
Sic Amor Infanti pepigit connubia Mundo;
Sic trahit innato ferrum conamine Magnes,
Ad Thalamos Natura tuos; ea Vitibus Vlmos
Iam teneris, Hederaſque unit Concordia Palmis.
Materiam ſic Forma maritat, Cera Sigillum;
Æquævis ſic Mella Favis; ita Prima Recenti
Mater nupta Viro eſt, & cœli Numen Vtriſque.
Qualis compoſitus Geminis Torrentibus Amnis
Cognomen ſortitur Idem; vel Surculus almo
Inſitus arbuſto, truncum concreſcit in Vnum;
Aut binæ cocunt cognata in Lumina Flammæ:
Sic individuæ Centro coaleſcitis æquo
Naturæ, & caſtum facitis ſimul Hermaphroditum.
Optima Virginitas, fieri de pluribus Vnum.

HEN. BERKHED, *Om. Anim. A. B.*

OBstetrice non *Maria*
Indiget, periĉla vitæ
Nec subit timenda mater.
Flosculos ferat virentes
Hic, & ille; fiat infans
Quilibet Poeta, carmen ore grandi personans.
Qualis uxor en marito,
Rege dignus en maritus,
Pulchra templa gratiarum!
Nemini viro secundus
Ille, fœminæ nec illa.
Nemini ecce comparandos omnibusque compares.
Inclytâ ille stirpe clarus,
Purus integerque morum,
Divitis soliq; princeps
Subditique bellicosi
Caroli gener vocatur:
Liberos *Maria* mittit, ipsa regna *Carolus*.

I. HARRIS *Nov. Coll. Schol.*

H*Enrici* & patriæ soboles! spes proxima Gentis
Auriacæ, columenq;, & copula certa Britannæ!
Seu mâvis, Gradive tener! Cato parvule! Nam te
Præter fatidici Vatis suffragia, Talem
